



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 2. An Infideles possunt cogi ad fidem suscipiendam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

rejicitur. Porro in hac etiam infidelitate non datur parvitas materiæ, cùm nulla possit esse infidelitas positiva sine contemptu auctoritatis Dei revelantis, quæ exigit, ut credantur res à Deo revelatæ, ubi primum sufficienter propositæ sunt ut à Deo revelatæ.

*Q. 2. An Infideles possunt cogi ad fidem suscipiendam?*

*Resp.* I. Certum est, Infideles Baptizatos, sive Hæreticos sive Apostatas posse cogi ad fidem Catholicam suscipiendam, & servandas leges Ecclesiasticas, quamvis Baptizati sint in infantia, vel in adultate aetate ex metu compulsi: quia omnis Baptizatus est subditus Ecclesiæ, quoad ea, quæ ad salutem, & Religionem spectant.

*Resp.* II. Infideles non Baptizati, sive sint subditi Principibus Christianis, sive non, compelli directè non possunt ad amplectendam Religionem Catholicam. Prob. 1. ex cap. 3. de Bapt. & cap. 9. de Judeis. 2. Ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam tali coactione sive per se, sive per Principes Christianos usæ est, quamvis id facile potuisse obtinere à principibus Religiosissimis putà Constantino magno, Theodosio, & aliis, quibus innumeri infideles subjecti erant. 3. Quia Ecclesia nullam habet potestatem in non Baptizatos, ex 1. Cor. 5.

*Quid*

*Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* & ex Trident. ss. 14. c. 2. Potestas verò Sæcularis, utpote merè politica ac temporalis, non extenditur ad supernalia. ut est Fidei susceptio. Adde, quod Fidei, ac Baptismi susceptio debeat esse voluntaria; alioqui non esset vera, sed ficta, & sacrilega. Illud autem Christi, Luc. 14. *Compelle intrare* significat adhortationibus adducendos esse homines ad fidem.

Dixi, *Directè*. Nam principes possunt 1. Vetare infidelibus subditis cultum Idolatriæ: quia possunt prohibere id, quod legi naturali repugnat, & cogere ad illius observationem, & præsertim ad ea, quæ ad publicam morum honestatem spectant. Sic Constantinus Magnus tulit leges contra Idololatras, quas approbat S. Aug. 2. Cogere illos ad audiendam Fidei Doctrinam, negando illis jus habitandi in suis Provinciis, vel exigendo majus tributum, justum tamen, quam ab aliis, ni audiant; vel negando privilegia, & gratias aliis concessa. Sic Gregor. XIII. Constic. 92. Statuit, ut Judæi ad audiendam singulis Hebdomadis Concionem de rebus nostræ Fidei cogerentur ab ordinariis Locorum, sub pœna interdicti cum fidelibus commercii, vel aliis multis.

*Resp.* III. Juxta S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 8 Ecclesia potest per principes Christianos compellere Infideles, ut non impediant

A 2 5

Præ-

Prædicationem, & propagationem Fidei: quia habet jus, & potestatem Prædicandi fidem per totum orbem, Marc. 16. *Pra-dicat-e Evangelium omni Creaturæ.* Sed qui habet jus ad aliquid faciendum, habet potestatem non solum illud exequendi, sed etiam compellendi per se, vel per alios, ut non impediatur juris executio.

*Q. 3 An liceat cum Infidelibus com-municare?*

*Resp.* Non licet in eorum ritibus, Sacri-ficiis, orationibus, cultu superstitione: quia talis communicatio est exterior quædam Professio, & approbatio falsæ Religionis, ac proinde virtualis negatio veræ. At in ci-vilibus, secluso periculo perversionis, & scandali licet ex 1. Cor. 10. *Siquis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate.*

Jure tamen Canonico vetitum est omni-bus Christianis, ne cum Judæis habitent, comedant in Balneo laventur, ipsis famu-lentur, & ab eis Medicinam accipient, Item Officia publica iis committantur, Tit. de *Judeis.* Quod sancitum est tum ad tuendam Dignitatem Christianæ Religio-nis, tum ad vitandum perversionis pericu-lum per familiaritatem cum Judæis, qui præ cæteris infidelibus Religioni Christia-